Sectionis secundæ Caput tertium

De motu aquæ ex centro ad circumferentiam terræ, ubi de scaturiginibus & fontibus in specie agitur.

SYNOPSIS.

N. 1. *De causa diversitatis vaporum subterraneorum.* N. 2. *de effluviis centralibus, aëreis pestilentibus, & terræ-motibus.* N. 3. *Effluvia centri terræ aquea, duplicia sunt, dulcia nempe & mineralia.* N. 4. *de causa dulcis aquæ, nec non de Spiritu, qui aquæ inest.* N. 5. *causa copiosæ fontanæ aquæ.* N. 6. *quomodo vapor aqueus in liquorem resolvatur, quem aquam vocamus.* N. 7. *luti, quod circa scaturigines reperiri solet, via & effectus.*

TEXTUS.

N. 1. UT motum *Physicum* aquæ subterraneæ centralis, quem in præcedenti capite incepimus, feliciter absolvamus; atque quas vapores centrales in ascensu suo vicissitudines & affectiones patiantur, consideremus: ante omnia sciendum est, aquam subterraneam, dum sursum fertur, non minus alterari, quam dum deorsum tendebat, & ex fundo maris ad centrum destillabat. Nam quemadmodum nonnihil ibi de *salsedine* sua deponebat, & ex diversis locis marium, diversimode in centrum instillabat; ita dum ascendit, non modo circa ascensus sui initium multum sedimenti & *fæcum* deponit: sed & in diversis locis, pro conditione terræ, diversimode ex centro ascendit, & in via alteratur, quod ex effectu patet. Quomodocunque vero alteretur, in fine motus sui, nempe cum superficiem terræ attingit, spissatur & congelatur, seu ut rectius dicam, densatur, quod ex sequentibus clarius patebit. N. 2. *Triplicia* autem effluvia subterranea dantur; nempe juxta tria Elementa, Globi terr-aque-aërei: Hinc effluvia subterranea *aërea*, *aquea*, & *terrea*, cernimus. Et quidem circa *aërea* non multum morabimur; hinc enim exhalationes *minerales* & *sulphureæ* oriuntur, quas metallicolæ *Witterungen* vocant: quæ cum superficiem terræ attingunt, non raro ita fortes sunt, ut arbores, herbas & glebas, quin imo ipsos lapides, quasi fulgura *comburant*, quæ proinde metallicolis *Ausbränd* vocantur. Ejusmodi exhalationes *minerales*, interdum ab aliquot milliaribus viatorum nares petunt; & si contrariis qualitatibus agantur, *pestiferæ* evadunt: cumque in via intercluduntur, vi tandem erumpunt, & hinc *terræ-motus* oriuntur. Dubium enim nullum est, magnum aërem in centro terræ excitari, ob magnam & *flatulentam* vaporum copiam; cui si per varios casus exitus intercludatur, vi eam erumpere necessum est, maxima interdum potentia, ut totas nonnunquam urbes pervertat: prout nuper triste experimentum in Epidauro habuimus. Incluſus ergo vapor, cum tanta vehementia in auram redit, variaque effluvia *terrea* secum vehit,